



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1866**

De S. Magno, Ep. Opitergiensi, Deinde Heracleensi, Conf. Forte Heracleæ  
in Ditione Veneta. Sylloge. Sancti Martyrologiis recentioribus  
annuntiationes: corporis ex Heracleensi urbe translatio: Sancti ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

AUCTORE  
MONACHO SAN-  
SULPITIANO.

cis semper erit vobiscum. Amen. Deinde quum eos pius Pater ubertim flere conspiceret, ait: Quid vos, o filioli, nimis sic movet transitus, mihi tam necessarius? Nolite, quæso, mœrere ulterius, quia hoc non est mors, sed transitus, quo Christus Dominus vocat, quem paratum invenerit: non est igitur in præsentia, quod lugentis, quum me paratum videatis.

beneque pre-  
catus, mori-  
tur, et hono-  
ratur.

6 Post hæc Vale dicens omnibus, insolito quodam fervore spiritus oratione profusa, eis benedictionis munus impendit, sicque vivificis munitus Sacramentis spiritum inter verba orationis efflavit tertio Nonas Octobris anno Dominicæ Incarnationis DCXV. b. Hujus venerabile corpus futuræ resurrectionis gloriam expectat in ecclesia divi Austregisilli de Castro, ubi magna populi devotione honoratur c. Sedit autem idem sanctissimus patriarcha Apollinaris novem annis ab anno Christi DCXVII ad annum DCXV d.

b

c

d

præsidente Romæ beato Papa Bonifacio, qui a Phoca cæsare obtinuit, ut templum Romæ, quod Pantheon dicebatur, in ecclesiam sanctæ Dei Genitricis et omnium Christi Martyrum consecraretur e, regnantibus in Francia Clothario secundo, Theodoberto, et Theodorico.

## ANNOTATA.

a Vide dicta superius num. 7.

b Imo 611, ut supra dictum est.

c Ad Syllogam præviam num. 10.

d Imo, ut ostendimus, ab anno 605 usque in 611.

e S. Bonifacius IV Papa colitur die 28 Maii, ubi de illo, consecratogue sub sanctissimæ Dei Genitricis omnium sanctorum Martyrum invocatione Romano Pantheo actum est.

## DE S. MAGNO, EP. OPITERGIENSI, E

B

DEINDE HERACLENSI, CONF.

FORTE HERACLEÆ IN DITIONE VENETA.

J. G.

## SYLLOGE.

**Sancti in Martyrologiis recentioribus annuntiationes: corporis ex Heracleensi urbe translatio: Sancti cultus solemnissimus. Natales ejus, gesti episcopatus Opitergini ac dein erecti Heracleensis epochæ, octo ecclesiarum Venetiis facta erectio, et emortalis locus tempusque discutiuntur.**

FORTE SUB  
ANNUM DCLX.  
S. Magni epi-  
scopi, quem  
Maurolycus  
Heracleæ,

C

**H**unc sanctum Antistitem, quem Petrus de Natalibus in Catalogi sui Appendice cap. 17 non tam nomine, quam effectu, seu rebus præclare gestis Magnum compellat, martyrologorum veterum seu classicorum nullus, quod sciam, in suos Fastos intulit. Ex recentioribus, quos novi, primus hoc die, at nimum parce illius meminuit Florarii nostri, anno 1486 conscripti, auctor his verbis: Item sanctorum confessorum Magni episcopi et Dulcis (seu Dulcidii, de quo in Prætermissis hoc die egimus) Agannensis (imo vero Aginnensis) episcopi. Subsecutus eum est Maurolycus, qui eodem hoc die non modo emortalium Sancto locum assignavit, sed et unius urbis, cui episcopus præfuit, nomen, ipsamque ejus corporis Venetam translationem suæ annuntiationi inseruit: Heracleæ, inquit, in sinu Hadriæ, Magni, ejus urbis episcopi, Venetiis in æde sancti Hieremias tumulati anno Salutis MDCVI.

alii vero Opi-  
tergii annun-  
tiant,

2 Verum neque ipse Maurolycus omnia, ut jam mox innui, quæ de S. Magno annuntiantur poterant, hoc suo elogio complexus est; siluit quippe de Opitergino ejus episcopatu, quem præter antiquam, licet aliqua ex parte, ut infra patebit, minus accuratam, Opiterginæ ecclesiæ inscriptionem, variosque auctores, infra etiam laudan-

dos, ei etiam adscribere videntur Galesinius et hodiernum Martyrologium Romanum; et sic quidem, ut ex utriusque annuntiatione eum Opitergii defunctum fuisse crederes: qua quidem de re postea sermo erit. At Galesinii annuntiationem nunc audiamus: Opitergii in Carnis, sancti Magni, episcopi et confessoris: cujus corpus, Venetias translatum, pie religioseque in basilica sancti Hieremias reconditum est. Audiamus et Romani Martyrologii verba: Opitergii, S. Magni, episcopi, cujus corpus Venetiis requiescit, nempe in ecclesia S. Hieremias, in quam hoc die anno 1206 translatum fuisse ex Petri de Natalibus Appendice adjectæ Martyrologio Romano annotationes testantur.

5 De hac translatione, ut ne, quæ ad Sancti cultum faciunt, sejungere alias cogamur, utque eadem opera jam mox dicta illustrentur, erudite pro suo more disserentem hic sistere visum est illustrissimum reipublicæ Venetæ senatorem, Flaminium Cornelium, qui Decade x Monumentorum ecclesiæ Venetæ pag. 447 de Sanctorum reliquiis, in æde S. Hieremias sacra assertatis, agens, quarto loco recenset corpus S. Magni, civis Altinatensis, Opitergii primum, mox Heracleæ episcopi; ac dein factam Venetias ejus corporis translationem his verbis complectitur: Venerabiles sanctissimi Antistitis exuvia Venetias deportatæ fuerunt anno

sacrum cor-  
pus anno 1206  
Venetias dela-  
tum,

A anno MCCVI, atque in parochiali divi Hieremias templo collocata, uti diserte tradit, quam a pag. 419 laudatus senator integram exhibet, *Legenda S. Magni episcopi et confessoris, vel ipso translationis tempore, vel certe haud diu post, uti infra ostendetur, adornata.*

in S. Hieremias ecclesia probabitur non ob allegatam, hic rationem,

4 Cur autem, inquit idem illustrissimus scriptor, ecclesia S. Hieremias prae caeteris electa fuerit, ut tanto pignore ditaretur, causam promittit antiquus Ms. codex, ex quo accepimus, divum Magnum, Opiterginum episcopum, in Altinate urbe ex familia Frigeria ortum habuisse, quae deinde familia, Venetias ex barbaricae incursionis metu adveniens, in extrema urbis parte sibi aedes posuit; in quibus et ipse divus Episcopus, dum Venetiis degeret, aliquandiu commoratus est, cujus in rei testimonium ostenditur angustum quoddam et obscurum cubiculum, in eadem domo ad terrae superficiem situm, in quo sanctum Virum habitasse, memoriae proditum est, quodque etiam nunc ex ipsius incolatu LA CAMERA di S. MAGNO nuncupatur.

sed ob aliam, quam tradit illustrissimus Cornelius,

5 Haec enim illustrissimus Cornelius, qui tamen assertam in illo codice Ms. corporis sacri in illam aedem translati causam ita non confirmat, ut contra jure merito revocari in dubium posse mox affirmet, ita loquens: Cum vero hujusmodi enarratio nullo certioris notae documento fulciatur, jure revocari potest in dubium. Dein, nulla Frigeriae familiae, ex qua S. Magnus oriundus fuisset, facta mentione, aliam, cur in S. Hieremias ecclesiam Sancti corpus delatum fuerit, sibi visam probabilior, causam promittit. Si tamen, inquit pag. 418, conjecturas captare licet, verisimile est, Petrum Ziani (cujus ducatus tempore translatio peracta fuit) Sebastiani ducis, patris sui, qui labentem ecclesiam renovaverat, pietatem aemulatum, sacras exuvias ad ecclesiam, in cujus confinio paternas aedes incoluerat, deduci jussisse: quae quidem viri eruditi ratio prae allegata in illo Ms. codice, haud satis antiquo, etiam mihi omnino arridet.

honorifice depositum fuit, eo ante ex Heraclensi urbe devectum,

6 At, quaecumque fuerit ratio transferendi in Hieremianam ecclesiam nostri Antistitis corporis, certe eo a viris illius contrate, ut laudata superius *Legenda* loquitur, sub MCCVI annis, nona Indictione de mense Octobris die sexto translatum fuit. At quam ex urbe, Opitergio, an Heraclaea, delatum Venetias sacrum pignus? Jacuisse prius, quam Venetias transferretur, in praedicta civitate Eracliana, quae nunc dicitur CIVITAS NOVA, eadem testatur *Legenda*, quae, cum, teste eruditissimo Cornelio pag. 418, antiquo codice pergamento, Venetiis in aede sacra S. Marci ad usum Matutinalium Lectionum olim asservato, etiam antiquior sit, imo in vetustioris aevi, fortasse non unius tantum aut alterius, Chronico existet, ac proin vel ipso translationis anno vel certe ei vicino tempore confecta fuerit, nullum hac de re prudenter dubitandi locum relinquit. Reliqua, quae ad Ecclesiasticam S. Magni venerationem attinent, ex laudato senatore Veneto, quo aptior in hoc argumento testis esse nequit, nunc recitare lubet.

et dein ex senatus Veneti decreto solemnifecto

7 Ut divi Magni episcopi, inquit eadem *Decade* pag. 421, festa dies inter praecipuas urbis (Venetae) solemnitates adnumeraretur, S. C. decreto sancitum est die XXI Decembris anno MCCCLIV, subditque statim laudatum decretum, his verbis conceptum: Fuit in principio originis hujus civitatis nostrae gloriosus sanctus Magnus episcopus ex Altino civitate, qui per caelestem revela-

tionem aedificari fecit in hac urbe octo notabiles ecclesias, videlicet sancti Petri Castelli, sancti Raphaelis, sancti Salvatoris, sanctae Mariae Formosae, sancti Johannis Bragorae, sancti Zachariae, sanctae Justinae et sanctorum Apostolorum: unde multa bona sequuta sunt, per quae civitas ita nostra, mediante divina gratia, multum est ampliata, et, eadem favente, in dies ampliatur. Unde convenientissimum est, ultra merita talis Sancti, propter etiam beneficia collata huic civitati, eum convenire et venerari. Vadit pars, quod dies festivitatis suae, qui venit die VII Octobris, sit dies et festum solemne observari quae debeat per totam civitatem, sicut diebus superioribus de S. Theodoro decretum fuit, ut Sanctorum horum continuis orationibus clementissimus Deus noster conservare dignetur statum nostrum in perpetua tranquillitate et pace.

AUCTORE J. G.

\* an non vi?

8 Ceterum Octobris diem 7 ex errore typographico loco diei 6 in illo decreto positum esse, vel idcirco existimo, quod tum ex ipsa *Legenda* S. Magni, cujus verba aliqua num. 6 transcripsimus, evidenter patet, non die 7, sed praecedenti, translationem corporis factam fuisse, tum quod ex alio reipublicae Venetae senatus consulto statutum fuerit, ut die 6 Octobris publica solemnique veneratio S. Magni exhiberetur, quam hodieque exhiberi ecclesiae Venetae directoria ad hunc postremum diem testantur. Illud quidem senatus consultum verbotenus non recensuit jam saepe laudatus senator Venetus, at illud anno 1563 revera editum fuisse, asserenti illi tuto credere licet. Verba ejus, ac vel idcirco etiam, quod ceterum Sancti cultum complectantur, ex pag. 421 et 422 huc transcribo. Anno deinde MDLXIII, inquit, ex S. C. statutum fuit, ut per Joannem Trivisanum, Venetiarum patriarcham, os ex divi Magni lipsanis extraheretur, hocque solemnifecta supplicatione ad ducalem divi Marci basilicam deduceretur, ubi divite inclusum reliquiario inter caeteras pretiosiores ejusdem ecclesiae reliquias asservaretur, dieque VI Octobris annuatim publicae populi venerationi condigno honore exhiberetur.

verosimilius 6 Octobris alioque publico cultu S. Magnus affectus fuit.

E

9 Stabilio nunc illustratoque Sancti cultu, reliquum est, ut, quae scriptores varii de eo tradiderunt, nos, quantum per veterum documentorum penuriam licet, discutere aggrediamur. Ex Altinensi urbe, quae Patavium inter et Concordiam pari fere intervallo ad ostium Silis fluvii Adriatico mari adjacet, originem duxisse S. Magnum, ejus *Legenda* num. 6 laudata auctor, Petrus de Natalibus in *Appendice Catalogi* cap. 17, Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italiae* pag. 632, Coletus tom. X *Italiae sacrae auctae* col. 153, et illustrissimus Cornelius *Decade* x, pag. 417 unanimi consensu scribunt. At vellem, ut eorum aliquis antiquum fontem, unde hi S. Magni natales hausti fuerint, nobis indicasset, quo tutius sanctus Antistes statui Altinensis civis posset. Etenim, tametsi *Legenda* auctor, qui eorum antiquissimus est, in illis, quae ad factam anno 1206 corporis translationem spectant, fidem omnino mereatur, parem certe auctoritatem pro iis non habet, quae sex ante se saeculis facta scribit, nullo nempe adducto teste, qui S. Magno aut coevis aut suppar fuerit.

Ex Altinensi, ut traditur, urbe oriundus fuit.

F

10 Adhaec parentes ejus sanguine nobilissimos atque ex nobilissimis, ut fertur, parentibus, fuisse, Petrus de Natalibus, ex familia vero Frigeria, Venetiis postmodum illustri, eos existisse, memoratus num. 4 Ms. codex aperte tradit. Verum,

AUCTORE  
J. G.

rum, cum et hæc haud satis antiqua auctoritate nitantur, præstat ea in medio relinquere, quam sine veteri teste asserere, aut sine solida in contrarium ratione negare. Si præfatæ Legendæ, Equilino, Ferrario aliisque fides est, S. Magnus a primævo ætatis suæ flore cepit inquirere Dominum, et, quo liberius ei vacaret, solitariam vitam aliquamdiu duxit, posteaque virtutibus juxta ac miraculis clarus, episcopali dignitate, nempe, ut dicenda aperient, probabilibus ante annum Christi 638, ornatus fuit. Verum, cum nec S. Magni Legendæ, nec jam mox laudati auctores uspiam insinuent, Sanctum nostrum Opiterginæ ecclesiæ aliquando præfuisse, imo potius ex sacerdotali gradu ad episcopatum Heraclensem assumptum fuisse, tradere videantur, sciscitabitur quispiam, quo fundamento nos eum Opiterginum prius, quam Heraclensem episcopum faciamus.

Ad episcopatum Opiterginum, et dein ad Heraclensem.

11 Respondeo, nos id facere, tum ex longe communiori vetustioreque sententia, tum ex fide unius ex antiquis inscriptionibus, quæ, teste Nicolao Coletto tom. X Italix sacræ auctæ col. 152, parietibus ecclesiæ majoris Opiterginæ infixæ sunt. Hæc autem apud eundem Coletum col. 153 his verbis concepta est: Sanctus Magnus, Opitergii episcopus, una cum Opiterginis, eorum urbe a Grimoaldo (imo a Rothari, ut infra dicemus) Longobardorum rege, capta, ad æstuarium confugiens, ibi Heracliam condidit anno Domini DCXXXVIII. Huic consentit Andreas Dandulus in Chronico lib. VI, cap. 7, part. IX, ita de nostro Antistite scribens: Tunc nempe cum Rotharis Opitergium, oppidum sibi infestum, expugnasset et diruisset, Magnus, vir sanctus, et loci (Opitergini) Catholicus episcopus, cum devota plebe ad contigua littora perveniens, civitatem construxit, quam sub imperatoris nomine Heracliam vocavit, et ecclesiam cathedralem sub nomine B. Petri Apostoli Deo dicavit, et auctoritate Severini Papæ et Primogenii patriarchæ, collaudationeque plebis in eadem urbe sedem suam perpetuo collocavit. Hiscæ autem expressis testimoniis potius, quam Legendæ et Equilini silentio, standum hic esse, Bernardus Justinianus de Origine Urbis Venetorum lib. VII, col. 84, tom. V, part. 1. Thesauri antiq. et Hist. Italiae, Blondus Flavius Italiae illustratæ fol. 108 verso, Carolus Sigonius de Regno Italiae lib. II, edit. Mediolan. col. 102, Nicolaus Coletus tom. X Italix sacræ auctæ col. 153, et, ut alios plures mittam, laudatus jam sæpe senator Cornelius aperte indicant, dum S. Magnus Opitergii primum, mox Heraclæ episcopum indubitanter statuunt; quibus, quantum ad Opiterginam sedem attinet, et Galesinius hodiernumque Martyrologium Romanum, quorum verba num. 2 dedimus, non immerito adjungi posse videntur.

quarum urbium notitia datur, evectus fuit

12 Porro Opitergium, cujus episcopalem cathedram ante Heraclensem S. Magnus tenuit, a Coletto cit. tom. col. 151 describitur: Populosa quondam et celebris civitas Venetiæ, duodecim passuum millia a Ceneta in Eurum distans, quæ montibus Opiterginis nomen fecit, hodie vulgo ODERZO, seu UBERZO nuncupatur; Heraclia vero, seu Heraclia, de qua hic, in æstuaris Venetis ad oram Adriatici maris sita fuit, in ejusque dein excisæ loco aliam urbem excitarunt Veneti, quam Civitatem novam placuit appellare. Plura de hac urbe Nicolaum Coletum, ac vel idcirco, quod, quæ tradit, ad eruendam sat prope utriusque episcopatus a S. Magno gesti epocham faciunt, disserentem audisse jurerit. Inter maritimas ur-

bes, inquit col. 143, quas, Italiam invadentibus barbaris, veteres provinciæ Venetæ cives condidere, non fuit postremi nominis Heraclia seu Heraclia. Opiterginos eam septimo Salutis seculo jam adulto exædificasse, constans est scriptorum assertio; cum enim deletam a Rothari, Longobardorum rege, patriam deslerent Opiterginorum primores, reliquorum Venetorum exemplum imitati et ipsi, D. Magno, eorum episcopo auctore, in æstuarium se conferentes, urbem hanc anno DCXXXVIII construxerunt in ora Adriatici maris... et ab Heraclii imperatoris, tunc temporis imperii habenas moderantis, nomine Heracliam dixerunt, Severino totius Ecclesiæ Pontificatum sustinente. Hactenus Coletus, qui mox subdit Danduli verba, quæ nos supra num. 11 transcripsimus.

13 Ex illis itaque Danduli atque ex laudatæ eodem num. Opiterginæ inscriptionis verbis, gesti a S. Magno Opitergini, susceperunt Heraclensis episcopatus epocham utcumque definitam habemus, ac sat prope vero accedere nobis videmur, si sub annum 630 S. Magnum episcopali dignitate ornatum, Opitergii saltem ad usque annum 636 sedisse, ac, diruta sua urbe episcopali, in æstuaris Venetis Heracliam mox condere cepisse statuamus, in cujus majori ecclesia, S. Petro a se erecta, auctoritate Severini Papæ ac Primogenii Gradensis patriarchæ anno 640 sedem suam episcopalem perpetuo collocaverit. Quod autem supra S. Magnum saltem ad usque annum 636 Opitergii sedisse dixerim, in causa est, quod eo dumtaxat anno Rotharis, a quo, teste Paulo Diacono lib. IV de Gestis Langobardorum cap. 47, Opitergium expugnatum dirutumque fuit, Langobardorum regnum suscepit, uti eruditissimus Assemanus tom. II Scriptorum Italiae pag. 267 dilucide probat; ut proin fortasse etiam anno 638 ineunte Opitergii adhuc sederit sanctus Antistes, quam quidem sedem jam ante annis aliquot tenuisse, credi nihil vetat. Verum contra hanc relictæ a S. Magno Opiterginæ aditæque Heraclensis sedis epocham nonnullæ exsurgunt difficultates, expediendæ prius, quam ad alia Sancti gesta progrediamur.

et priorem sedem fortasse tenuit ab anno 630 usque ad 638, ac dein Heraclensem;

E

14 Ac prima quidem in eo sita est, quod in laudatæ inscriptione antiqua, ecclesiæ Opiterginæ parietibus infixæ, Grimoaldus, Longobardorum rex, fatalem Opiterginæ urbi expeditionem non post annum 638 suscepisse statuatur, cum tamen Grimoaldus anno dumtaxat 662 e Beneventano duce rex Langobardorum factus sit, nec ante postremum annum Opitergium obsidere captumque funditus delere potuerit. Respondeo: ita res habet: ac propterea inscriptionem illam, uti nempe tom. X Italix sacræ col. 153 edita est, in eo vitiosam esse fateor, quod pro Rothari Longobardorum rege, Grimoaldum ad annum 638 ponat, qui error sitne inscriptionis auctori, an ejus instauratori imputandus, edicere nequeo. Hoc autem ex Danduli num. 11 laudati verbis emendato, constat sibi præfata inscriptio, omniaque apprime congruunt. Etenim, qui, vivente adhuc Heraclio imperatore, ac probabiliter sub annum 638 post captas Romanorum civitates, in littore maris Ligurini sitas usque ad Francorum fines, Opitergium quoque... pari modo expugnavit et diruit, is, teste Paulo Diaconolib. IV de Gestis Langobardorum cap. 47, paulo ante citato, non alius, quam Rotharis rex fuit, qui dein cum Ravenatibus et Romanis bellum gessit ad fluvium Æmilie, qui Scultenna dicitur, in quo bello a parte

nec dictis multum obest Opiterginæ ecclesiæ inscriptio, quæ una in voce emendata,

A parte Romanorum, reliquis terga dantibus, octo millia ceciderunt.

Pauli Diaconi  
et Andree  
Danduli a  
Sigonio

15 Porro jam ante illud Rotharis regis cum Ravennatibus bellum, Opiterginorum, capta a Rothari sua urbe, ad Adriatici maris æstuarium emigrationem contigisse, disertè scribit Dandulus supra citatus, et omnino conformiter Paulo Diacono, uti ex utriusque hujus scriptoris verbis, a Sigonio lib. II de Regno Italiæ illustratis, manifestum fiet. Hunc col. 101 editionis Mediolanensis audire operæ pretium fuerit, Itaque, principio regni, inquit de Rothari, rege Langobardorum, ut opes suas stabiliret, nobiles quosdam Longobardorum, quos alienos a se animos gerere senserat, de medio sustulit, atque inde animum ad movendum Romanis bellum contulit. Erant quippe ceteriore in Italia duæ inter Longobardos provinciæ, adhuc imperatoriæ ditioni subjectæ, Alpes Cotticæ et Opitergium cum omnibus oppidis, usque Tarvisium. Has igitur regno Longobardorum adjungere cupiens, postero ineunte anno (seu anno 658, ut vult Sigonius, ac fortassis etiam ante) Cottias Alpes cum infesto exercitu inivit, ac primo adventu Genuam, Albiganum et Lunam oppida capta direptaque incendit... Inde terrore belli in Venetiam translato, Opitergium et cetera, quæ commemoravimus, loca ad deditionem adegit.

illustratis  
verbis appri-  
me congruit,

16 Exarchus vero, postquam mature exercitum se ad ea loca adducere non posse, animadvertit, haud tamen sibi committendum existimavit, quin, quam maximis posset, opibus in proximos regis fines irrumperet, atque omnia terrore ac tumultu repletet. Itaque Rotharis, postquam eum, recepta Perusia, ingenti cum exercitu ad Æmiliam properare accepit, quanta maxima assequi celeritate potuit, ei sese objecit, et, ad Scultennam amnem Mutinensem, ipsius provinciæ finem, nactus, sine cunctatione in certamen descendit. Ibi collatis signis, octo millia Romanorum occisione occisa; reliqui præcipiti se mandare fugæ coacti sunt. Ea pugna finis inde omnium inter exarchos, regesque bellorum usque ad Luitprandi tempora fuit. Primores Opiterginorum, amissa patria (nempe antequam Rotharis cum exarcho confligeret) antiquos Venetos imitati, et ipsi se ad æstuarium contulerunt, atque ad Plavis amnis ostia evecti, locatis sedibus, urbem ex Magni, episcopi sui, auctoritate sibi condiderunt, quam a nomine imperatoris Heracliam nominarunt. Magnus, basilica, sancto Petro, Apostolorum principi, dedicata, ibi sedem perpetuam posuit.

neque, quæ ex  
Muratorio  
contra senten-  
tiam nostram  
objici possunt

17 At, inquit, Muratorius in Annalibus Italiæ, anno Christi 641 Opitergium a Rothari rege primo captum statuit, quo certe tempore memoratus a Dandulo Severinus Papa superstes non erat, ac ne ipse quidem, saltem adolescente anno, Heraclius imperator, a quo inditum novæ urbi nomen Dandulus alique volunt. Adhæc cum Dandulus anno circiter 1550 Chronicon suum adornavit, nihil ab ætate habet, quo assertioni suæ fidem certam conciliet, utque ex ejus verbis memorata supra inscriptio Opitergina sat tuto emendari possit. Accedit, quod Severinum Papam, cujus consensu S. Magnus Heraclææ sedem fuisse scribit, annis duobus, mensibus quatuor, diebus octo, sedisse asserat, cum tamen is Pontifex non ultra duos menses et dies quatuor, seu a 28 Maii usque ad 1 Augusti anni 640 S. Petri cathedram tenuerit. Quapropter videtur potius

Octobris Tomus III.

sub annum 667, quo tempore Grimoaldus rex, teste etiam Paulo Diacono lib. V, cap. 28, Opitergium civitatem funditus destruxit, quam sub annum 658, seu post captam a Rothari eandem urbem, Heraclia fundatio ac per consequens occupatæ a S. Magno Opiterginæ sedis finis statui debere.

AUCTORE  
J. G.

18 Fateor, hanc Muratorii de condita primum sub annum 667 Heraclia opinionem cum solius Pauli Diaconi verbis conciliari quidem posse, eaque, quæ contra sententiam nostram objici queunt, ejusmodi esse, quæ eam pro certa haberi velant. Verum cum ad propositas difficultates responsio non desit, nec certa pariter sint omnia, quibus Muratorius nititur, non video, cur ab antiquiore communioreque sententia secedendum sit, quæ Heracliam, non modo vicentis adhuc Heraclii imperatoris temporibus conditam, sed et ab ejus nomine ita compellatam statuit. Ac primo quidem, dum Muratorius anno duntaxat Christi 641 Opitergium primo a Langobardis sub Rothari rege captum tradit, antiquum hujus epochæ testem ne unum quidem profert, sibi quæ hanc probabilem tantum esse, tom. IV, pag. 86 fatetur; ut proin Sigonii, Coleti aliorumque sententiæ, cum nihil plane obstat, æque ad hæc nobis liceat, ac vel ex hoc capite etiam probabilis, quod non appareat, cur Rotharis rex, teste Paulo Diacono, vir viribus fortis, ac verisimiliter ob datam Romanorum malitia Atoni Beneventani ducis filio funestam potionem, non leviter iis infensus, ad usque annum regni sui sextum Romanis inducias concesserit, præsertim, ubi, multis Heraclii copiis adversus Saracenos in Oriente occupatis, ipse jam ab anno 656 opportunam invadendi, quibus inhiabat, Romanorum urbes, occasionem nactus esset.

efficiunt; ut  
minus proba-  
bilis fiat.

19 Præterea, si Opitergium anno duntaxat 641 post captas a Rothari Liguriæ oræ urbes expugnatum dirutumque, imò etiam non ante annum 667, quo Grimoaldus urbem illam funditus evertit, inde alio cum suo Præsule incolas emigrasse, ex mente Ludovici Muratorii dicas, quid, quaeso, invenies causæ, cur novæ a se conditæ urbi, ab Heraclio imperatore, utpote vel mense Februario vel Martio anni 641 e vicis erepto, Opitergini anno 667 nomen indiderint? Equidem Muratorio libens dederò, Opiterginos, diruta postmodum funditus a Grimoaldo sua urbe, Heracliam sub annum 667 non exiguo numero emigrasse, cum et id ipsum Dandulus in Chronico lib. VI, cap. 8, num. 16 testetur; verum et ipse Dandulus non tum primum, sed jam sat diu ante conditam Heracliam fuisse, hoc etiam loco insinuat, cum Incolarum... plurimos destructæ funditus Opiterginæ urbis in Heraclianam urbem, utpote jam ante a suis contribulibus exædificatam, cum familiis pervenisse, scribit. Quæ quidem omnia mihi probabiliorē faciunt opinionem, quæ ante Severini Pontificatum, seu ante annum 640, et Opitergium a Rothari captum, et dein novam a S. Magno, cui is ab Heraclio imperatore nomen indidit, conditam fuisse urbem, statuit, in qua urbe, ut inquit Dandulus in Chronico cap. 7, num. 9, ecclesiam cathedralem sub nomine beati Petri Apostoli Deo dicavit et auctoritate Severini Papæ et Primogenii patriarchæ collaudationeque plebis... sedem suam perpetuo collocavit.

F

20 At junior est Dandulus, quam ut sua auctoritate tam antiquo facto certam fidem faciat.

AUCTORE  
J. G.  
et antiquiorum testimonio nostra sententia nihil ostendatur.

Fateor; at cum antiquiorem magisque eruditum scriptorem, qui contrarium tradiderit, nemo nobis opponat, cur a Dandulo hic recedamus, causam nullam video, praesertim, cum in suo Breviario tom. I. Script. Italiae pag. 4, eorum, quae narrat, quadam se vidisse, quadam vero ex lectione Annalium, qui nunc interciderint, sibi innotuisse, aperte Dandulus testetur; ex quo genere fuisse, quae de Opitergino Praesule tradit, non abs re suspicari licet. Atqui, inquit rursus, labitur vix non eodem loco Dandulus, cum Severinum Papam annis 2, mensibus 4, diebus 8 sedisse narrat, cum revera is Pontifex 2 mensibus tantum et 4 diebus Petri cathedram tenuerit; Respondeo, si scioi cuiusdam aut librarii vitio, qui designat a Dandulo menses in annos, dies in menses commutarit, deque suo penu dies 8 adjunxerit, hoc loco Danduli Chronicon corruptum non fuerit, quod quidem factum esse haud difficulter crederem; nihilominus a chronographi Veneti auctoritate, propterea, quia in ordinanda Pontificum Romanorum chronotaxi aberrasset, recedendum in iis non est, quae de urbe Venetiis vicinia deque hujus Praesule vel ex domesticis Annalibus vel ex constanti traditione, cujus sibi antiquitas explorata fuerit; non uno loco indubitanter scriptis mandavit. Utumque haec se habeant, potior certe ejus, aliorumque eruditorum, qui eum sequuntur, quam unius Muratorii, nullo teste antiquo nixi, habenda mihi esse videtur auctoritas.

Aliam contra opinionem nostram sibi Coletus difficultatem proponit et solvit.

21 Aliam, quae contra statutam a nobis Opiterginae sedis relictam, erectaque a S. Magno Heraclensis epocham casurgit, Coletus tom. X Italiae sacrae auctae, col. 132 difficultatem proponit, hisque etiam verbis expedit. Sed hic, inquit, insurgit difficultas ex asserto Titiani (proximi nostri Antistitis in Opitergino episcopatu decessoris) loco natalitio. Si enim Heracliam condidit S. Magnus anno tantum DCXXXVIII circiter, quomodo sanctus Titianus, Heracliae natus, praecessit S. Magnum, et alumnus et successor fuit S. Florianus, episcopi Opitergini, qui fertur decessisse anno circiter DCXXX? Res sane nodosa, quam tamen facile extricamus, asserendo, quod Titianus potuerit eo in loco editus fuisse in lucem, qui deinde in civitatem auctus et bene munitus, accurrentibus post Aquilejae cladem Concordiensibus, Altinensibus aliisque populis, ut Leander scribit, in obsequium imperatoris Heraclii Heracliae nomen assumpsit. Auctor vero, qui post saecula in unum collegit et descripsit Titiani gesta, ejus natale solum ab assumpto dein nomine Heracliae pronuntiavit. Haecenus Coletus, et quidem, si Concordiensibus, Altinensibusque Opiterginos ex laudatae inscriptionis et Andreae Danduli verbis hic substituisset, aut saltem hos ceteris nominatim subjunxisset, omnino recte convenienterque iis, quae col. 115 de constructa anno 658 ab Opitergino Heracliae asseruerat. At humani aliquid in eo passus est Coletus, uti et dum col. 151 Opitergium a Rothari, rege Longobardorum, restitutum scribit, dum ex Pauli Diaconi testimonio, quod exstat lib. IV, cap. 47, expugnatum et dirutum scribere debuisset.

quem Orendius parte II Orbis sacri et profani, multo longius, quod nunc dictum obiter sit, aberravit a vero, et, quod hic caput est, susdeque vertit fixatum a Coletus, tum a seipso epochas, sibi plus una in re hic omnino contrarius: ac primo quidem, dum pag. 524 Paulum Diaconum lib. IV testem

perperam producens, Opitergium a Rhotari, rege D Longobardorum, restitutum scribit, dum tamen pag. 541 deletum a Rothari, Longobardorum rege, Opitergium nobiscum ponat; ac rursus, dum Opitergio a Rothari, atque adeo, saltem ante annum 652, everso, constructam a profugis ejus civibus, atque ex Heraclii, tunc imperantis, nomine Heracliam anno 688 fuisse nuncupatam, pag. 541 asserit, cum tamen eo tempore Heraclius annis 47 et Rotharis annis 56 jam vita functus esset. Denique, dum S. Magnus Opitergii episcopum, Severino, Romano Pontifice, et Heraclio imperatore probantibus, (atque adeo ante 641) in aestuaria secessisse et novam urbem condidisse, ex communiore nostraque etiam sententia pag. 524 affirmat, ac nihilominus eadem pag. 524 haec non ante illatam Opitergio a Grimoaldo, Longobardorum rege, supremam cladem, seu, uti pag. 541 manifestius loquitur, non ante annum 688 facta adstruit. Sed haec tam inter se pugnantia mittamus, ac potius, uti ante fecimus, meritoque facere potuimus, jam ostendimus, dirutum a Rothari sub annum 658 Opitergium, exin a profugis ejus civibus, S. Magno duce et auctore, Heracliam, vivente tum adhuc Heraclio imperatore, conditam, ac denique in hac postrema urbe anno 640 ex Severini Papae consensu episcopalem sedem erectam statuumus.

25 Nunc quid causae fuerit, cur ex Opitergina urbe, ut a Rothari non funditus destructa, alio cum sui gregis maxima saltem parte emigravit Antistes noster; Bernardum Justinianum lib. VII de Origine Urbis Venetorum exponentem, unaque, quae ante diximus, illustrantem audiamus. Ita ille col. 84 Thesauri Antiquitatum et Historiarum Italiae tom. V parte I: Praesidebat episcopus Opitergio Magnus, Altinas, vir eximia sanctitatis, cum nempe Rotharis rex Opitergium expugnavit diruitque. Miserabatur (S. Magnus) assiduas commissi sibi gregis calamitates. Virus tamen illud Arrhianum ferebat longe molestius, qui acerbiores illi essent de fide contentiones, quibuscumque rerum incommodis. Blasphemi vero in Deum homines non illi ferri posse videbantur. Neque ulla spes suberat ad sanioerem mentem revocandi avaros homines et superbos, qui favere illis Langobardos cernebat magistratus. Tutius igitur visum animis corporibusque, cedere. Locum capit in stagnis haud procul a continenti. Amor autem sanctissimi Viri maximam secum mortalium turbam traxit multaque eum nobilitas comitata est. Quae quasi parentem potius, quam praesulem, deserere non possent. Ibi civitatem condit, quam Heracliam appellat in Heraclii gratiam... Civitas dein nova a posteris dicta. Eam sedem deinceps Severinus, summus Pontifex, et Primogenius patriarcha Gradensis confirmavere. Maximam auxit apud omnes sanctitatis opinionem pietas et amor, quem erga profugos paterna quadam pietate declarabat, non verbis tantum et blandiori sermone, sed ipsa quoque re vel ex proprio vel ex amicorum beneficio collata. Ita haecenus laudatus patricius Venetus, litteris non minus, quam praeclearis legationibus illustris, quem et philosophum et oratorem saeculi XV apud suos Venetos principem Jacobus Bergomas vocavit.

24 Pergo nunc ad octo illas ecclesias, quas post fixam, ut apparet, Heracliae episcopalem sedem S. Magnus Superum monitis in ipsa urbe Veneta vel erexisse, vel erigi curasse, passim traditur.

inquiritur ratio, cur Heracliam sedem suam episcopalem S. Magnus transtulerit.

\* an quia?

F

Traditur Sanctus octo ecclesias in urbe Veneta erigi curasse.

**A** tur. Ea de re illustrissimum Cornelium tom. XI Monum. eccl. Venetæ disserentem audire juerit. Is, postquam pag. 198 præmississet, se historiolas quasdam populares, ex quibus ceteroquin voluptas et admiratio narrationi accessissent, ea de causa e suo Opere rejecisse, quod nullum putaret esse posse verum historiae ornamentum, cui veritas non inesset, mox subdit: Interea tamen unam ex illis traditionibus adoptandam ratus sum, quæ fronte prima ad vulgi ruditatem referuntur, sed, si ea accurate expendatur, profecto ab illarum acervo est eximenda. Traditio hæc, ut alibi (in plerisque nempe ejus Operis voluminibus) etiam diximus, ad nostram usque ætatem detulit, ecclesias octo (quarum nomina num. 7 et infra num. sequenti habes) fuisse Venetis erectas hortatu et opera sancti Magni, episcopi antea Opitergini, deinde Eracleensis. Id circa sæculi VII medium præstitit Vir sanctus, tum ex imperio sibi cælitus facto (cujus generis exempla in Historia Ecclesiastica passim occurrunt) tum ex pastoralis curæ impulsu, cum urbem nostram majora in dies incrementa capere videret ex eorum affluxu, qui barbaricas excursions cladesque vitabant, et idcirco novis novisque spiritualibus subsidiis præsertim in Sacramentis administrandis indigere. Hanc fuisse earum fundationum causam unanimi sententia asserunt plurimi ex Venetis chronologis, quorum dictis suffragatur constans atque immemorabilis traditio ipsarum ecclesiarum; quæ divum Magnum, veluti parentem primum et fundatorem agnoscunt et colunt, ejusque solemnia die VI Octobris magna cum celebritate exequentur.

ex prævia monitione cælesti, ut varia documenta perhibent,

**B** 25 Ceterum quo modo S. Magnus de condendis illis ecclesiis cælitus monitus, monitisque obsecutus fuerit, Equilinus in sui Catalogi Appendice cap. 17 his verbis enarrat: Quadam vice in spiritu raptus (S. Magnus) per revelationem monitus est, octo ecclesias ea tempestate edificare: primam Petro Apostolo; secundam Raphaeli angelo; tertiam Salvatori; quartam gloriosæ Virginis, quæ nunc dicitur MARIA FORMOSA, nam in formoso ornatu ei apparuit; quintam Joanni Baptistæ; sextam Zachariæ; septimam Justinæ; octavam XII Apostolorum numero, Salvatore et Matre cum singulis earum Sanctis singillatim apparentibus, et loca ædificationum demonstrantibus, suum ibidem surrecturæ Venetiarum urbi patrocinium fideliter promittentibus; qui civibus omnia pandens, locis et signis, prout monitus, inventis, cum suis obsequentissimis filiis, ut tale tamque fidum urbi patrocinium nanciscerentur, non longo post tempore eas honorificas exererunt. Eadem, quantum ad substantiam, tradunt jam sæpe laudata antiqua ecclesiæ Opiterginæ inscriptio, S. Magni Legenda, antiquum Lectionarium Ducalis basilicæ Venetæ, senatus Veneti decretum, anno 1434 editum, et Bernardus Justinianus cit. col. 84, qui tamen non octo tantum, sed novem a S. Magno ecclesias conditas scribit.

hujusque facti substantia, est non historice certa sit,

**C** 26 At, inquires, cum nullum ex his omnibus documentis sit, quod certo ad S. Magni tempora sat prope accedat, vel ex tam antiquo fonte indubie haustum fuerit, ac præterea adjuncta quædam apparitionum illarum, præsertim in Legenda S. Magni memorata, fabulam sapere videantur, negari merito potest, re ipsa Superum monitis erectas illas a S. Magno ecclesias fuisse. Fateor quidem, inscriptionem Opiterginæ ecclesiæ, uti ex

modo computandi annos Christi, illic adhibito, etiam liquet, sæculo VII certe juniorem esse, nullumque ex documentis istis ea esse antiquitate præditum, ut factum, de quo agimus, historice certum reddere queat; imo vero, S. Magni Legendam esse ultra veri speciem in recensendis facti adjunctis adornatam, nequaquam diffiteor. Verum, tametsi non eo modo, quo Legenda illa, aut nec eo etiam, quo Equilinus tradit, Superum apparitiones indeque octo ecclesiarum consecuta erectio factæ fuerint, non propterea tamen ipsius facti substantia, prout in Opitergina apud Coletum inscriptione, Veneti senatus decreto et recepta eruditè traditione recensetur, commentitia dici debet, præsertim cum nihil contineat, quod præter modum singulare aut vero absimile sit, quodque non a multis eruditione claris scriptoribus passim assertum constantique atque immemorabili octo ecclesiarum traditione firmatum fuerit.

**D** 27 Et hujus quidem immemorabilis traditionis non contemnendus etiam testis est laudatus supra Bernardus Justinianus, sæculi XV scriptor, dum lib. VII cit., col. 84 ita scribit: Tenuit fama constans ad hunc usque diem, Sanctum illum (Antistitem nostrum) novem (imo octo) ecclesias in hoc Rivalto (quæ urbis Venetæ pars est) divina monitum revelatione construxisse, quarum nomina etiam hodie feruntur. Et quamquam Andreas Dandulus traditionis hujus non meminerit, imo etiam de ecclesiarum illarum ædificatione agens, illarum auctores, a S. Magno omnino diversos assignet, non tanti tamen momenti esse videtur hoc ejus silentium, ut nixam documentis, etiam Dandulo vetustioribus, traditionis illius antiquitatem evertat. Quod vero attinet ad assignatos a Dandulo ecclesiarum exstructores, omnino a S. Magno diversos, ita ejus verba exponi possunt, ut eos ecclesias illas reparasse, aut, ante a S. Magno conditas absolute renovasse potius, quam primum erexisse, significatum voluerit. Ut hæc sint, non satis urgens adversus urbis Venetæ ecclesiarum scriptorumque, si silentem Dandulum excipias, ad unum omnium consensum, ratio militat, cur antiqua sua possessione depelli deberent tam illustres ecclesiæ, quæ a tot sæculis S. Magnum, ut parentem suum primumque exstructorem habuere, ac singulari cultu hoc nomine prosecutæ sunt.

**E** 28 Superest, ut de S. Magni emortuali loco temporeque nonnulla etiam disseramus. Postquam sub annum, ut nobis videtur, 658 ex Opitergina urbe, a Rothari Langobardorum rege capta, magnamque saltem partem diruta, maxima cum sui gregis parte eo loci sanctus Præsul emigrasset, ubi novam mox placuit urbem condere, cui ab Heraclio, tunc imperante, nomen fecit, ac dein, currente medio circiter sæculo VII, tum ex imperio sibi cælitus facto, tum certe divino quodam impulsu, ut fert, teste Cornelio aliisque, constans traditio, octo ecclesias in ipsa urbe Veneta extrui curasset, Heracliam reversus commissum sibi populum, non exigua jam ex parte, ex quo Heracliam condiderat, auctum, suis monitis in fide Catholica roboravit, ac denique in sua ecclesia plenus meritis obdormivit in pace. Posteriora hæc diserte tradit Dandulus, ita lib. VI Chronici cap. 7, part. X scribens: Hic Magnus, Heraclianæ civitatis episcopus, vir eximie sanctitatis, clero et populo jam in eadem urbe multipliciter aucto et suis monitis roborato in fide Catholica, in sua ecclesia quievit in pace.

**F** 29 Quod

AUCTORE  
J. G.

tamen propter sat antiquam traditionem, non obstante Danduli silentio, rejicienda non est.

Videtur S. Magnus mortuus esse in Heraclensi urbe

AUCTORE  
J. G.  
sub annum  
660, imo  
etiam serius,  
si tamen Bern-  
ardus Justi-  
nianus recte  
scripsit.

29 Quod ad hunc emortualem Sancti locum attinet, nihil apparet, curasserenti Dandulo refragemur, ac vel idcirco etiam, quod verisimile non sit, S. Magnum fixam ex summi Pontificis ac patriarchæ Gradensis consensu Heracleæ sedem Opitergium, sub Longobardis nec sibi nec suis tutum locum, ullo unquam tempore recexisse, aut alio, quam episcopalis urbis a se conditæ, usum fuisse fixo domicilio. Accedit, quod sancti Præsulis corpus, prius quam anno 1206 Venetias transferretur, teste Legenda, hac in re fide digna, Heracleæ jacuerit, nec aliunde huc advectum legatur; ut adeo non immerito S. Magnus Heracleæ ad Superos emigrasse statuatur; quamquam tamen, deficiente auctoris sat antiqui testimonio, id certum dici nequeat; ac propterea in hujus Sylloges titulo eum non indubie, sed forte Heracleæ defunctum scripsi. At quo tempore ejus obitus contigit? Respondeo, cum Sanctus noster, teste Dandulo, clerum et populum suum multipliciter in eadem urbe Heracliana auctum viderit, ingensque cleri populique incrementum non nisi paulatim tacitisque annis fieri soleat, eum sat probabiliter etiam post annum 655 in visis statui posse, ac fortassis non ante annum 660, cum dierum plenus honorumque operum esset, æternam mercedem fuisse consecutum. Imo vero, si re ipsa, ut scribit Bernardus Justinianus, ad ultimam usque senectutem S. Magnus vixerit posset in hypothesi, quod, cum Heracleam condidit, quinquagenarius dumtaxat esset, etiam ultra annum 660 episcopatus ejus extendi, quod tamen ego ex sola Justiniani auctoritate asserere non ausim.

Non fuit episcoporum potestremus, qui Opitergiensis episcopi titulum gesserit,

30 Ceterum, priusquam huic Syllogæ finem imponam, conveniendus mihi rursus est Orlendius, qui, S. Magni episcopatum Opiterginum Heraclii, adhuc imperantis, temporibus citato tomo pag. 524 innectens, Præsulem nostrum postremum Opitergii episcopum facit, ac nihilominus Benenatum, Opiterginum episcopum, eodem loco memorat, qui Epistolæ Agathonis

Papæ et synodi Romanæ, quam habes apud Har-  
duinum tom. III Conciliorum a col. 1115, addito Opitergiensis ecclesiæ episcopi titulo, anno 680 subscriptus ibidem col. 1158 legitur. Profecto, si eo sensu hæc scripserit Orlendius, ut post S. Magnum nemo Opitergini episcopi titulum gesserit, ipsa se ejus assertio destruit, nec pluribus confutari opus habet; sin autem nihil aliud scriptor ille significatum voluerit, quam S. Magnum postremum ex Opiterginis episcopis fuisse, qui ea in urbe indubie sedem habuerit, lubens ei accedo, cum, ut ante dixi, verisimile non sit, statutam Heracleæ episcopalem sedem, a S. Magno Opitergium fuisse reevectam, aut etiam id ab alio factum dein fuisse, præsertim cum vice altera et funditus quidem sub annum 667 a Grimoaldo Opitergium deletum fuisset. Crediderim tamen, Præsulem nostrum, translata Opitergio Heracleam episcopali sede, Opitergini episcopi titulum et pastoralem miserrimæ hujus diocesis curam numquam deposuisse, eaque in re sui imitorem habuisse Benenatum, qui anno 680 sese Opitergiensis potius quam Heracleensis ecclesiæ episcopum scripserit, quod non modo hæc una cum altera moderaretur, sed præsertim, uti conjectare lubet, quod Opiterginus episcopatus antiquitate aliisque titulis Christiano orbi notior illustriorque Heracleensi esset.

31 Porro tum temporis Opiterginos episcopos Gradensi patriarchæ Catholico subsuisse et a schismate Aquilejensi jam pridem fuisse revocatos, recte observat Joannes de Rubis in Monumentis ecclesiæ Aquilejensis col. 507, quod et ex Danduli Chronico et ex comperta Præsulis nostri sanctitate abunde confirmatur. Plura de S. Magno dicere non habeo; nec scio, an eorum, quos Bernardus Justinianus col. 84 multa Sancti miracula Vitamque scripsisse, adstruit, hodieque lucubrations exsistent, atque, an ejusmodi sint, quæ non immerito in illustrissimi Cornelii Opere locum habuissent, atque in hoc nostro fuissent commemorandæ.

E

subsitque  
Gradensi patri-  
archæ Catho-  
lico.

## DE S. PARDULPHO ABB. CONF.

C WARACTI IN DIOECESI LEMOVICENSI IN GALLIA. F

J. B.

### COMMENTARIUS PRÆVIUS.

#### § I. S. Pardulphi Acta, memoria apud martyrologos et cultus sacer.

ANNO  
DCCXXVII.  
S. Pardulphi,  
Waractensis  
abbatis,

Natalium suorum humilitatem S. Pardulphus, Waractensis seu Garactensis abbas, cujus hodie Acta exhibemus, virtutum suarum claritudine prodigiorumque frequentia, vir Deo et hominibus amabilis, majorem in modum illustravit. Erat autem Waractum seu Garactum sæculo sexto et septimo Lemovicensis (ad quam diocesis hodieque spectat) territorii vicus, decima circiter a Lemovicibus leuca ad fontes Warimpæ (la Gartempe) situs: at, postquam eo loci SS. Petro et Paulo Apostolis monasterium, cujus primus abbas S. Pardulphus fuit, Lantharius,

Lemovicensium comes, condidit, eo sensim accrevit, ut in oppidum evaserit, atque hæc nostra ætate Marchiæ Superioris caput audiat. Le Gueret Galli vocant. Waractensis autem monasterii Dionysius Summarthanus tom. II Galliæ Christianæ col. 555 sequentem notitiam exhibet: Inter antiqua Lemovicensis diocesis monasteria, nunc oblivione sepulta, Waractense S. Petri recensetur, a Lantario comite fundatum ad fontes Warimpæ fluvii, ubi nunc est GUERET urbs primaria Marchiæ. Hujus loci abbas celeberrimus fuit S. Pardulphus S. PARDoux cujus Vitam habes Sec. 5 Benedictino p. 1. pag. 371. Modo prioratus ad nominationem abbatis S. Savini Pictavensis, ut notat